



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi**

**Clagius, Thomas**

**Coloniae Vbiorvm, 1659**

XV. Quatuor ante Calendas Julias intermedii dies.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11544**

## XI.

Incertis ex locis gratiæ pro beneficiis  
actæ.

Certa hominum certorum beneficia ac nomina, si quidem illa nonnemo in commentariolo, sine respecto ullius certi loci nomine, & ego necesse habeo prodere. Gregorius Reimer quinque annorum morbo ex oculis tum sanguine suffusus, tum pustulis atque obstitis graviter laborabat: at verò Margareta Martini Kraus filiola infans vix annum ætatis excessit. pedis dextri digitos habebat contractos: voto a parentibus utriusque Lindam nuncupato, sanatus uterque est. Eundem in modum Gertrudis Yugo capitis ac pedis sinistri dolore per biennium affecta, voto ab se nuncupato, sanitati restituta est.

## CAPVT XV.

Quatuor ante Calendas Julias intermedii dies.

Ex Calendarum Quintilium diebus proximo capite expeditis, huic initium dabit duodecima ante eadem Calendas dies, quæ apud veteres *Summanæ* vocatur sacra juxta illud Ovidii in Fastis:

*Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,  
Tunc, cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.*

Porro *Summanus*, quasi summus Manium Orcus sive Pluto appellatus, quem Romani inter illos, a Pyrrho incussos Vrbi timores, sibi placandum videtur sumpsisse. At quis apud Lindam *Marianam*,

aut ab hoste metus, aut à Summano periculum, ubi  
 magna Dei Mater, omnium & terrorum & pericu-  
 lorum depultrix, & quædam quasi *Averrunca*? Experi-  
 ti id sunt, & experiuntur in horas, cum alii plures,  
 tum qui numerosum juxta, ac pium supplicantium  
 agmen, pro anniversario more, ob profligatam Dei-  
 paræ Lind. ope, hominum pecorumque luem, hodie  
 instruerunt Glocksteinenses Schellenenses, atq; Schön-  
 bergenses.

## 1.

## Steriles &amp; parturientes adjunctæ.

Catharina Nicolai Koracz Brunsbergenfis fabri  
 conjux, non unam, ob decem annorum sterilitatem,  
 sibi exprobrantem nacta fuit æmulam Phennennam  
 proinde & illa consilium exemplumq; Annæ secuta,  
 & ad Deum atq; Deiparam Lindensem, flexis genibus  
 provoluta, *amaro* (ut scripturæ verbis utar <sup>(a)</sup> *animo o-*  
*ravit ad Dominum flens largiter. Et respexit afflictionem,*  
 hujus quoq; famulæ suæ Dominus: paucos post dies  
 concepit, & quemadmodum voverat, ceream tanti  
 ponderis effigiem, quanti erat infans recens natus,  
 Patronæ Lind. obrulit. Qui è vicinis tantum Deipa-  
 ræ beneficium, cognoverunt nuntiante famâ con-  
 juges, exemplum Catharinæ imitati, non pauci ejus-  
 dem benignitatis ac benedictionis compotes facti  
 sunt. Longè inde distabat, neq; tamen eam Deiparæ  
 Lind. pietatē ignorabat Christophori Kœnigsmann  
 Plausensis hortulani conjux Gertrudis; quæ alterâ à  
 sacro Paschate hebdomadâ ad partum jam maturum  
 disposita, aut potius ad mortem fuit deposita. O & o-  
 nium

(a) I Reg. I. 11.

m, ubi  
 pericu-  
 Exper-  
 plures,  
 antium  
 m Dei-  
 i, hodie  
 Schön-

m dierum continui etant, & quidem, ad S scriptu-  
 mentem, *parturientis dolores*; biduum verò etiam  
 spe non paucis erepta, Mater tamen, è consilio  
 horum spem concepit, & voto Dei Matri apud Lin-  
 am obligata, mox fætu juxta ac mortis periculo so-  
 ra, hodie votum cum adjecto gratiarum fænore  
 solvit.

## II.

## Vir paralyfi, mulier delirio exempti.

fis fabri  
 ratem,  
 ennam:  
 secuta,  
 genibus  
 nimo o-  
 tionem,  
 ost dies  
 m tanti  
 natus,  
 Deipa-  
 à con-  
 ei jus-  
 es facti  
 eipara  
 mann  
 lterá á  
 urum  
 O&o-  
 nüm

Eodem die Matthæus Behm Seeburgo, & Marga-  
 ra Jacobi Dre wscivis Brunsbergenfis, cujusape-  
 re capite meminimus, uxor Lindam appulerunt.  
 elapso proximè Epiphaniæ Domini die in Silesi-  
 a abiturus, non dolore modò verùm & paralyfi  
 urum pedem invadentis retardatus est, ut eum,  
 triginta circiter leucas, non tam promoveret,  
 traheret violenter. Simul autem votum pere-  
 nationis Lindensis, si revaluisset, nuncupavit, sa-  
 pedem recepit, quo etiam Lindam sanus accel-  
 At verò Margareta, defuncti ante viginti jam an-  
 ra, patris per somnium admonitu excitata, varias  
 tulit interea cùm difficultates tum ægritudines,  
 bus etiam ad sensuum mentisque ægritudinem  
 adacta. Neque tamen alio, quàm, quod idem pa-  
 eodem tempore suggestit, consilio usa est: pa-  
 cino videlicet Deiparæ Lindensis, cui idcirco non  
 del duntaxat, sed iterum atque iterum gratias pro  
 beneficio actura supplex apud Lindam advolvi-

## III.

Equi à grassante lue erepti, & quidam apud homines non catholicos.

Eàdem quoque die, ex oppido Trinckfurto, quinque circiter leucas in Ducatu Prussiae Lindam disjuncto, Catharina civis cum Martino Gelbhaar filio, nuncupatum Deiparae Lindensi votum exacta peregrinatione solvit. Equis jam plerisque lue sublatis, ne reliqui porrò tollerentur, adeoque res familiaris propè omnis pessum iret, duas ante hebdomadas votum Lindam nuncupavit, & reliquo peccatori domuique praesidium consecuta est.

## IV.

Vehemens ac varia maleficiorum vis repressa.

Die ante Calend. Julias XI. Iacobus Lettau civis Gutstädiensis, celebris tota Varmia aurifex, votivam ex argento tabellam tres fere palmos longam, cum adjecto nummo aureo; materni avunculi sui nomine, eò quod is necdum se ipse sistere, ac munus offerre coram posset, lubens volensque obtulit. Est autem avunculus ipsius, Dominus Christophorus Lidig, apostolicam auctoritate publicus, uti & castriperinde ac civitatis Meelsaccensis juratus Notarius, Vir inter suos actota Pussia ornatissimus atque honoratissimus; nunc maleficiis & incantationibus, per quendam pastorem, jam à pluribus mensibus vehementer perstrictus Meelsacci is pastor, in suspicionem praestigiarum atque maleficiorum venerat, ideo-

ideoque factum esse inde jussus, in V Voynitten, quatuor passuum millibus distantem inde pagum secesserat. Sed & ibi, lues tum pecorum tum etiam hominum celeriter consecuta, hominem in ejusdem maleficii suspicionem haud vanè traxit, ut omnes pagi incolæ ad præfectum castri, illum, uti reum, de terre minimè dubitarent. Verùm sive ob ruditatem & imperitiam actorum, sive ob rei, multoque magis assistentes illi genii mali pessimas artes, deficientibus probationibus sufficientibus, absolutus reus ad pecus & opus suum rediit. Ibi tum malus genius ad illum, Viden, inquit, quàm te innoxium vexârunt rustici isti? Quin tu, lege talionis in eosdem agis? Annuit ille, & ex reo jam actor, totum pagum accusat. Stat à die, impeditus, qui jus dicere debebat, præfectus arcis adesse non potuit, ut & tum, & deinceps comperendinari causam aliquoties oportuerit, non sine molestia, fastidio, & indignatione actoris importunissimi, ab alio, utique magis importuno extimulati. Hic ergo malus daemon opportunum nactus tempus, hominem facile sibi obnoxium atque obsequentem iterum aggreditur, Nunquid, inquit vides, comperendinationum, quin & evasionum istarum, nullum esse, nisi ipsum Notarium authorem atque causam? Hic enim cum iudicis interea locum possideat ac dicere jus possit, quin & debeat, rusticorum in gratiam ut lites ex litibus serit & te de die in diem ludificatur? Vin, ut illi sua sit merces? Vin, ut capiat qualia istiusmodi iudices decent, munera? Annuente pastore Notarius veneficiis momento temporis delimitus, totius corporo-

corporis primùm, tum verò pedum plantarumque  
 psorâ atque pruriginæ (quam continuò unguibus,  
 quin & scalpellis oportuit scabi) corripitur. Nec-  
 dum ille perpruriscere desierat, cum deinceps Icte-  
 rici, mox Hydropici, cæterorumque plurium mor-  
 borum vestigia sese aperuere. Interea maleficus, siue  
 conscientia, siue aliis exagitatus furiis, è pago illo  
 fugam ultro arripuit. Plus trimestri spatio perquisi-  
 tus, atque in vicina Traumburgo villa repertus, re-  
 ductusq; Meelsaccum quaestionibus subicitur. Fas-  
 sus plurima, atque idcirco adjudicatus rogo, dũ pro-  
 ferendâ extremâ in illum sententiâ, quanquã æger-  
 rimus adesse cogitur Notarius, necdum quidquam  
 mali de illo, suâ causâ suspicatus, respice, inquit, me  
 jam longè alium, quàm antè noveras? *Veteris ea vox*  
*amicitiæ benevolentiaq; fuit, qui ab homine, cui an-*  
*tea sæpius benefecisset, aliquam grati animi aut com-*  
*patientis notam exprimere satagebat. Tũ maleficus:*  
*Parce, inquit, Domine, parce: Quid ego (inquit ad*  
*eam vocem attonitus vehementer cũ aliis Notarius)*  
*tibi parcam? Tum ille iterum: Parce, quaeso, parce: nã*  
*& tu, ex maleficiis meis ista pateris omnia. Ad hanc*  
*vocem, omnibus multò et jam magis attonitis, iustus,*  
*rem ex ordine, uti memoravimus, percensuit. Nota-*  
*rio, uti Vir est Christiani omninò animi, ingenuè par-*  
*cente, quaesitum è malefico est, possentne ea maleficia*  
*amoliri? Possem, inquit, si genium meum haberem*  
*praesentem, quo jam absente, alterius imploranda e-*  
*rit manus. At Notarius tum demum malorum suorum*  
*causas edoctus, non ad cujusquam alterius medici,*  
*ne dicam malefici, sed ad B. Virginis Lindenſis opem*

con-

fugit; quan  
 malter ocul  
 inque dies j  
 nfit.

Præfens

Eadem die  
 enſi villâ col  
 us Lindam v  
 late gratias  
 ini, ab imis  
 uada & con  
 ce ulquam,  
 uſſet, muta  
 in locum, c  
 neque spes al  
 u gladiatorum  
 terent, votu  
 um octo co  
 perreptandi  
 parium sept

Feb

Eadem q  
 Schæter T  
 patis absolu  
 cruciatibus

onfugit; quam & affaturam brevi sperat, præferrim  
um alter oculorum, cujus ulus maleficiorum vi per  
quinque dies jam erat sublatus, restitutus Dei gratiã  
am fit.

## V.

Præfens è morbo periculum mortis  
dilectum.

Eadem die Simon Podemik, è Nusberg Gusta-  
diensi villâ colonus, Dorotheam uxorem suam comi-  
tatus Lindam venit; ut pro recepta per B. Virg. uxoris  
salute gratias unã ageret. Mense Novembri exeuntis  
anni, ab imis pedibus, ad pectus usque Dorothea  
clauda & contracta evasit: ut neque sedere, neque ja-  
cere usquam, sine maximis cruciatibus ac tormentis  
posset, mutandum que idcirco perpetim esset de lo-  
co in locum, quod humi positum erat, stratum. Cum  
neque spes aliunde salutis affulgeret, neque tormen-  
ta gladiatorum instar pervadere omnia membra desi-  
nerent, votum fecit, si vires atcunque redissent, et-  
iam octo continuis diebus, Lindam quàm primùm  
perreptandi. Rediêre mox vires, ut intra diei unius  
spatium septem fere leucarum iter pedes confecerit.

## VI.

Febris, epilepsia, & cephalalgia  
depulsa.

Eadem quoque die Petrus Hartman, & Martinus  
Schreeter Traumburgenses cives, votis ab se nuncu-  
patis absoluti sunt. Atq; hic quidem durissimis capitibus  
cruciatibus ante biennium, per tres potissimum hebdo-  
madas

A a a 4



madas exagitatus, vix sibi denique præsens erat; factus tamen ilico animi præsens, quia præsentem Deiparæ, ubi se Lindæ stitutum vovit, opem expertus est. Cum autem superiore anno profectioem Lindensem, ob varia non absolvisset impedimenta, nunc demum præcis omnibus remoris absolvit pedes. Quod etiam Petrus Hartman, comite per totum septendecim leucarum iter conjuge præstitit, non secus atque superiore anno, comitante patruo suo, præstiterat. Eundem enim, ante biennium tum in febris æstus jactatione socium habuerat, tum in itinere Lindensi comitem, tum denique in beneficii divini quasi sportulæ cujusdam cælestis usu, participem. Quamvis verò tum in ipso itinere, tum & in Lindensis ædis sacrario paroxysmus recurrisset, ubi tamen divinis resecti Sacramentis reditum inde apparârunt, febris ab eo tempore reversa amplius non est. Quoniam autem Petrus tantum in se auxilii opisquæ expertus jam erat Deiparæ, non dubitavit filiolo suo bimulo Andree eandem implorare opem. Comitiali morbo, aliquoties intra annum recurrente, torquebatur infans: at ubi die S. Adalberti profectum est ad B. V. Lindensem, anno superiore votum; morbus ad hanc diem amplius non recurrit. Hinc parens uterque, iter septendecim leucarum Lindam pedes suscepit, & filiolum manibus gestatum suæ, illiusquæ sospitatrici commendavit.

## VII.

Fulmen innoxie ædibus illapsum  
 Denique, eadem die Ioannes Mauritz, carpentarius

rius è Sturmhubel Resselienſis agri pago faber Gertrude conjuge, Annâ filiâ, & Bonaventura patruelis ſui filio, comitantibus pariter que gratias agentibus Lindam acceſſit. Octavus volvebatur dies. cùm abſente viro, fulmen vehementiſſimâ tempeſtate in eorum rectum eſt excuſſum. Uxor, quæ ſe cum ædibus liberis que, jam jam flammis ablumendam timebat in genua proveluta, opem Deiparæ Lindeniſis invocavit Nullam exinde ſive flammam ſive noxam hominibus, ædibusvè (niſi quod inter ſuperiora intertignia veſtigium aliquod fulminis appareat) illatam quiſquam vidit; quod & nunc omnes læti juxta ac admirabundi prædicant.

## VIII.

## Dysenteria periclitans adjuvatur

Ad x. Cal. Julias Michaëi Mieczkowka. è majore Kellen Resselienſis municipii villa, opifi uſſator. Verno ſuperioris anni tempore, inſanis maximisque viſcerum cruciatibus, & quæ hos confeſta eſt, pertinaci dejectione alui exhauſtus, atque ad extrema ferè deductus, neque opificio ſuo neque ulli admovere operi manus potuit. Potuit nihilominus mentem ad Deiparam Lindeniſem, & quædam, per vota atque preces, quaſi machinas admovere. Continuo liber omni morbo jam tum Lindam advolavit. Ne quid tamen pro tanto in ſe beneficio deſiderari videretur, etiam hoc anno peregrinationem ſupplex iterum inſtituit; paratus etiam deinceps, quoad vitæ vires que ferant, idem tenere inſtitutum.

## IX.

Aaa 5

## IX.

Matrona nobilis, cum aliàs tum in partu  
adjuta.

Die IX. Cal. Julias Rosalia magnifici ac Generosi  
Dom. Joannis von Olsen nuper Capitanei Brunsber-  
gensis, at nunc præfecti Resfelienfis filia, Magnifico  
et idem ac Generoso Domino Joanni Gosiorowski  
Præfecto Wartemburgensi nupta, gemellos pri-  
mo partu feliciter enixa, cum pro hoc tum pro a-  
liis plurimis à B. Virgine Lindensi retro acceptis  
beneficiis, Lindam gratias actura venit, & in grati-  
monumentum animi, tabellam argenteam, cum ex-  
pressa Deiparæ filium Jesum portantis effigie, &  
adjectâ epigraphæ hac dedicavit: *In honorem B. V.  
M. fieri curavit Nobilis & Generosus Dominus Ioannes  
Gosiorowski Burggravius VVartemburgens.* 1655.

## X.

Mulier hæretica recepto animi lumine  
corpotis quoque lumen  
recipit.

Eadem die Elisabetha annos LXXV. nata anus,  
Stargardiâ, Pomeraniæ civitate oriunda, variis belli  
& fortunæ casibus, per Pomeraniam, Megalopolin,  
& Prussiam jactata unâ cum posteriore marito Pau-  
lo Schultz Elbingæ defuncto, in sola hæreseos Luche-  
ranæ pertinacia constantissima fuit, tandem ante tre-  
decim annos Meelfaccum ad filium suum Joachimū  
concessit; ubi septem annis in eadem pertinacia tra-  
ductis

luctis, catholicæ tandem Ecclesiæ se adjunxit. Cæ-  
cærum ut illustratos mentis oculos, magis ad cæ-  
cæm attolleret, quinque annis in catholica fide jam  
tractis, ex oculis corporis biennium ita laboravit,  
ut præ magnitudine doloris ( qui & oculos instar  
ignis, & caput cruciabat ) cæcitatem optaret, dum-  
modo libera doloribus tantis esset; præsertim cum  
dolor, quò plura adhiberentur remedia, eò accende-  
retur magis. Quoniam verò cum aliis fidei Catholi-  
cæ articulis, etiam de cultu Deiparæ instructa  
erat, multa que de Lindensis Deiparæ beneficiis  
audierat, anno proximè elapso, cum tota Meelsac-  
censium civitas, egregiam ( ut suo loco memoravi-  
mus ) ad Lindam Marianam instituit processionem,  
statuit ipsa quoque iter, cum illo supplicantium a-  
gmine ingredi. Ab eo fere momento, & dolor remit-  
tere, & luminum usus redire sensim cæpit; quo-  
ad divæ Virginis Ædem ingressa, clarum cernere,  
ac nullius ductu amplius egere potuit. Quo in-  
de fuerit perfusa gaudio, æstimari vel hinc potest,  
quòd iter duodecim ferè leucarum, eâ decurre-  
nt alacritate, ut, quod ipsa ait, nunquam se totâ  
vitâ suâ senserit vegetiorem. Cujus beneficii memor,  
tunc nihil magis haberet in votis, quàm ut  
vel semel adhuc posset Lindam revisere, ne-  
mine alio nisi duabus parvulis è Joachimo fi-  
lio neptibus comitantibus, iter facile emensa est pe-  
des: Spondet proinde, si iter eadem facilitate domũ  
revertatur, conaturam, ut sequente etiam anno, si  
vita comes fuerit, neque vires in decrepita jam ætate  
omnino deficiant, Lindam revisat. Interim paupercu-  
la anus,

la anus,

la anus, quæ non nisi lanificio, & pensis in Xenodochio ducendis victitat, sicut non pauca de labore manuum suarum Templo Meelsaccensi donavit, ita & Lindensi B. Virgini tabellam argenteam unius fere aurei nummi precio comparatum, hodie consecravit.

### XI.

#### Dux Meelsaccenses matronæ votorum compotes.

Eadem die Anna Francisci Dingel, & Elisabeth Michaëlis Pohl, civium Meelsaccensium conjuges adfuerunt quarum hæc dextrum pedem, plus anno pessimè affecta, nullum doloribus, qui et jam gressum vix concedebant, nisi à B. V. Lindensi invenit remedium: illa capitis & dentium cruciatu per annum vexata, maximum ex voto levamen sensit. Unde quemadmodum superiore anno totius civitatis processionem comitata est, ita hoc sigillatim peregrinationem instituit. Porro utraque pedes duodecim fere leucarum iter est emensa.

### XII.

#### Plures è Ducatu Prussix non catholici apud B. V. Lindensem supplices.

Eadem quoque dies, plures è Ducatu supplices vidit, quorum plerique jam votorum rei gratias egerunt nonnulli deinceps acturi, nunc vota ac preces, non sine fiducia attulerunt. Pietzski pagus est Schistensis castri quinque leucis ab Linda disjunctus, ex quo Martinus Chudy, cum Alberto le-

fonck

Honck Martini coloni filio adolescente, Annâ  
 viduâ, & Dorotheâ Michaëlis itidem coloni fi-  
 liâ, advenerunt. Martinus enim immodicis capitis  
 doloribus, ab annis octo perenniter vexatus, ubi  
 anno proximè elapso votum Lindam fecit, magnum  
 sensit levamen, speratque in dies majus. Albertus  
 comitiali morbo à quatuor annis exagitatus, à pa-  
 rentibus superiore anno Lindam ductus, iterum, ut  
 majora identidem remedia impetret, mittitur; qui  
 etiam paulò post in Augusto, ipso Assumptæ Vir-  
 ginis pervigilio, non mediocriter adjutus tertiù ad-  
 fuit. Anna denique sacrum ignem in facie pedibus-  
 que graviter exulceratis, jam à biennio perpella;  
 ubi votum, quo nunc defungitur, superiore anno  
 edidit, quoad faciem quidem & caput, levamen  
 sensit maximum; quoad pedes verò omni levata  
 est morbo, ut nunc iter totum pedes confecerit. Ejus-  
 dem Schiftenis castri, villa est Sorquiten quatuor  
 ferè leucis Linda disjuncta: ex qua Anna Georgii  
 Ziemele vidua, mulier admodum annosa, pro ser-  
 vato à lue grassante pecore, gratias Deiparæ egit.  
 Qua causâ accensum cereum in catholicorum mo-  
 rem obtulit. Jam verò è Tauk Rheinensis castri pa-  
 go, quinque mulieres, quamvis non catholicæ, vo-  
 ta Lindam variis ex causis nuncupata reddituræ, pri-  
 die concubiâ jam nocte, iter quinque leucarum sunt  
 ingressæ, ne videlicet à prædicantibus, aut prædi-  
 cantum sociennis observarentur; graves alioqui  
 multas luituræ: quas tamen ajebant, subire se mal-  
 le quàm vota Deo & Deiparæ facta non servare. In-  
 gressæ ædem sacram, cum & donaria, à variis obla-  
 ta, &c.

ta, & decorem domus Dei spectarent: Ecce, inquit, quomodo catholici sacerdotes omnia ad Dei gloriam convertunt! at nostri omnia pro se, & conjugibus, liberisque suis abliguriunt? Et una insuper; Quantum, inquit, nuper à viro nobili & opulento, pro Organomusico, ut in templo esset, legatum donatumque fuit? At hoc ipsum à Prædicante quoque est consumptum! Aliæ quoque duæ mulieres, è diversis Prussiæ Ducatus villis affuerunt, nimirum Eva Alberti Oycoch, è Swydry pago, haud procul Letzen distito, & Anna Laurentii Gromoda, è Schwartzenstein pago, ultra Rastenburgum posito, uxores. Atque hæc quidem nomine Gertrudis filix suæ votum persolvit, latus enim dextrum filix ulceribus à biennio scærens, vehementer illam discruciat, ut nulli par labori esset. Parentes igitur per quendam mendiculum superiore anno, cereum anathema Lindam miserunt & magnum filix senserunt levamen: ut porro integrè restitatur, jam ipsa mater filix causam, apud B. V. agit. Jam verò Eva, suo ac mariti sui nomine causam eandem agit: nam & ipsa per septennium, & maritus à die Natalis Domini usque ad Pentecosten, dirissimo capitis & oculorum dolore discruciatum sunt, ut vir quidem etiam oculorum alterum perdidit, mulier verò dolorem ad spinam dorsi senserit derivatum. Uterque morbo levatus est, ubi se Deiparæ Lindenfi commendârunt, ita ut vir quidem altero oculo commodè fruatur, uxor verò, iter quinque leuca-

leucarum, intra diem non integrum emetiri pedes  
valuerit.

## CAPUT XVI.

Postremi mensis Junii dies.

PRImus horum, ad VIII. Cal. Quintiles est; quo  
fortuna forti, ut ait Varro (a) Servius Tullius, secun-  
dum Tiberim extra Urbem dedicavit. Hinc Ovidius in  
Fastis:

*Plebs colit hanc, quia, qui posuit, de plebe fuisse  
Fertur, & ex humili sceptrata tulisse loco.*

Naves quoque coronatas per Tiberim convivia  
agitaſſe idem memorat:

*Ferte coronata iuvenum convivia lintres,  
Multaque per medias vina bibantur Aquas.*

Alia de caula forti fortunæ apud Lindam Ma-  
rianam locus eſſe poteſt, ubi Dei ac Deiparæ bene-  
ficio, pulſis tot morbis, vires & robur mortalibus  
redeunt.

### I.

Mulier in partu adjuta, Vir maleficiis & in-  
ſaniâ liberatus.

Diſta igitur VIII. Cal. Jul. die Matthias Zdu-  
nowski, ſilvarum Illuſtriſſimi Episc. Varmienſis præ-  
fectus, cum uxore Gertrude beneficiorum à B. V. ac-  
ceptorû memores, gratias & vota reddiderunt. Ger-  
trudis primo partu ante annû, plus hebdomadâ do-  
lores parturientiû perpeſſa, vitæ proximû in diſcrimẽ  
adducta jam erat; à quo per votum B. Virgini fa-  
ctum

(a) lib. 5. de lingua lat.